

*de sacra Camera apostolica Sponthitiana aule romana*

QUOD. FELIX. FAUSTUM. FORTUNATUMQUE. ESSE. JUBEAT.  
DEUS. O. M.

II k  
4102

MAGNIFICI. ATQUE. AMPLISSIMI  
SENATUS. GEDANENSIS  
AUCTORITATE  
PHILOSOPHIAM. DOCENDI  
PROVINCIAM  
IN. ATHENÆO. NOSTRO

VIRO  
CLARISSIMO. ET. DOCTISSIMO  
DOMINO

M. CAROLO  
GOTTLIEB  
STRAUSSIO

GEDANENSI

CANDIDATO. MINISTERII. A. C. I. REVERENDO  
A. D. I. MART. A. C. MDCCLXXIV.

SOLENNI. RITU. TRADITURUS  
PATRES. URBIS. HUIUS  
CONSCRIPTOS

UNIVERSITÄT  
BIBLIOTHEK  
GOTTENBERG

CETEROSQUE. LITTERARUM. ET. STUDIORUM. LIBERALIUM  
PATRONOS. MÆCENATES. FAUTORES  
ATQUE. AMICOS

QUA. PAR. EST. REVERENTIA. CULTU. STUDIOQUE  
INVITAT

JUVENTUTEM. VERO. STUDIIS. IN. ATHENÆO. INGENUIS. OPERANTEM.  
PERAMANter. CONVOCAT

GUILIELMUS. PAULUS. VERPOORTENNIUS  
S. S. THEOL. D. ET. PROF. PUBL. ATHENÆI. RECTOR.  
ET. AD. ÆDEM. S. S. TRINITATIS. PASTOR.

G E D A N I,

TYPIS. THOM. JOH. SCHREIBERI. SENATUS. ET. ATHEN. TYPOGRAPHI.



elici omine nec sine Numinis singulari nutu evenisse credere par est, ut, quo tempore Romanorum episcoporum autoritas Hildebrandinis artibus a Bonifacio VIII. in immensum aucta erat, vel astutia vel auctoritate Philippi Pulchri fuerit effectum, ut a Clemente V. Cathedra Petri Roma Avenionem transferretur; quo primum fundamenta tanti potentatus concussa leviter, fortius post fuerunt impulsa, cum extincto Gregorio XI. qui pristinos lares repetiverat, utraque metropolis, Roma & Avenio Pontificem quaelibet suum veneraretur. Etsi enim cum illa sedis mutatione, tum hoc dissidio magna in ecclesiam mala invehebantur vehementerque affligebatur christianorum coetus, hoc tamen boni fuit illius consequens, ut quod antea saepius tentatum successu caruerat, nunc majore animo, quem imminsa pontificis majestas subiciebat, susciperetur bonae causae defensio, & de injuriis a sede romana sibi illatis palam non modo conquererentur, sed jura etiam antiqua postliminio reducere tentarent, qui cum auctoritate utriusque civitati cum sacrae tum profanae praerant. Alio certe quam hoc modo, contingere potuisse facile, ut Patres ad concilia conscripti de eminente conciliorum supra pontificiam, auctoritate cogitarent, susceptaque fortiter turbatae reipublicae causa, iudices Pontificum coirent, verisimile haud est, nisi haec dissidia intercessissent. Utinam perfici potuisset quod a Constantiensi concilio inchoatum a Basileensi urgebatur negotium, quo circumscribenda erat Pontificum potestas. Evidem haud dicam, nihil fuisse horum opera profectum, cum ecclesiae gallicanae Concordata ex auctoritate Concilii Constantiensis fuerint constituta, Basileense vero etiam si non effecerit, opportunitatem tamen ad incunda Germanis cum Pontifice Concordata praebuerit, quibus uterque populus onere fuit multo levatus, gallico tamen hoc felicioribus factis ea in re perfuncto, quo circumspexit in ea se gessit. Hoc tamen nequit addubitari, plurima, quibus premebatur coetus facer incommoda, post hos vindices pristinae libertatis nixus, perfitisse immota; quorum numerum, qui haud exiguus est, inire nunc ac persequi, non est animus, cum ex eorum turba unum se praee aliis objiciat, quod in medium hac seriptione productum, lectoribus nostris ad considerandum exponere propositum nobis est, & invidioso *Taxae Camerae Apostolicae* nomine venit. De cuius praecipuis vel plane tollendis vel restringendis vel emendandis publice, sed irrito conatu, privatimque magno licet molimine, in Concilio Constantiensi a) consilia patres agitaverunt. Qua re factum est, ut inter gravamina adversus synodi Tridentinae repetitionem, etiam denuo proferretur anno 1565. *Taxa Poenitentiarum & exprobaretur aulae Romanae.* b) *Memoriam Taxae nostrae aetate resfricarunt, quae aliquot ab hinc annis inter Principes gallicae domus & sedem Romanam agitatae fuerunt controversiae.* Ex quo enim familia Jesuitarum sedibus suis Europae partis, quae meridiem spectat, extremae, expulsa, Clementem XIII. propugnatorum acerrimum, praesidiis ejus quoad vixit defensa, nacta erat, Principes, quorum majestas laesa videbatur, quique Pontificem partibus deditum & sententiae suae in repudiandis postulatis aequis praeter modum tenacem existimabant, inquirere accuratius in ea, quae ille auctoritati suae praetendebat, per viros harum rerum peritos ceperunt productisque idoneis documentis quam precaria sit, qua in ea causa adhuc usus est, potestas, demonstrarunt. Harum seriptionum praecleararum aliquot specimina dedit nobis Brettius, c) quorum auctores, dum legendo vestigia ad caput ascendunt, in *Taxam Cancellariae Apostolicae* inciderunt, ad cuius rationes intelligendas multa erudite attulerunt & quam late pateat explicarunt, quamque noxium sit rei principum totum institutum, graviter monuerunt. Cum vero duplex sit *Romae Camera*, altera *Cancellariae Apostolicae*, altera *Poenitentiarum*, duplex proinde *Taxa* sit, quarum prior impendia collatorum sacerdotiorum, beneficiorum ecclesiasticorum, gratiarum expectatarum, dispensationum super irregularitate, legitimationum, matrimonialium caussarum similibusque, posterior flagitia pene quaevis; utpote pericidium; incestum

cum

a) von der Hardt: Concil. Constant: T. I. p. 952, 953.

b) Ia. Wolffii Lectiones memorabiles T. II. 825 - 837.

c) T. II. 605. III. 3. seqv. Magazins zum Gebrauch der Staaten und Kirchen Geschichte.

cum matre, forore, aut alia consanguinea certo pretio aestimat, d) hac, quod causam non attingebat, omiſſa, illam eruditi Itali in libellis ſuis perſequuti ſunt. Hujus enim auctoritas nondum omnino evanuit, ſed adhuc viget, & cum aperte non liceat, graſſatur occulte premitque eos graviter, qui eam venerantur eademque nunc ſtylum vindicem regiae majeſtatis acuit eorum, qui pertaeſi ſervitutis regumque praefidio tuti ad libertatem adſpirant, ut vere dixerit Brettius e) in hiſtoria civitatis ſacrae verſatiſſimus jurisque omnis peritiſſimus, vivere adhuc Clementem V, Innocentium XXII. (pro Johanne XXII. per errore poſito) immo Bonifacium ipſam, ſi vim legum, quarum hi magnam partem auctores ſunt, ſpectes. Taxa poenitentialis, cultu litterarum emendationeque ſacrorum mutata rerum facie, dudum in deſuetudinem venit. Puduit enim harum ineptiarum, ut leviſſime dicam, tum temporis eos ipſos, qui forte, ſi nihil de priſtino ſtatu rerum mutatum fuiſſet, frontem perfricuiſſent. Nunc haud facile ullum ex adſectatoribus Pontificis Romani fore crediderim, qui ad haec, in illa Taxa obvia, legens toto peſtore non cohorreſcat, eaque non deteſtetur: *Absolutio pro eo, qui in eccleſia cognovit mulierem & alia mala commiſit groſſi. 6. Absolutio pro eo, qui litteras teſtimoniales falſas ſcripſit gr. 7. absolutio pro eo, qui matrem, ſororem aut aliam conſanguineam vel aſſinem ſuam aut commatrem carnaliter cognovit. gr. 5. Absolutio pro eo, qui interfecit patrem, matrem, ſororem, fratrem, uxorem aut alium conſanguineum venit ad gr. 5. vel 7. Absolutio pro marito, qui uxorem ſuam percuiſit, de qua peperit abortivum & ante tempus gr. 6. Absolutio pro muliere, quae bibit aliquem potum vel aliam actum fecit, per quem deſtruxit foetum in utero vivificatum gr. 5.* Groſſi 6 ad noſtram monetam comparati efficiunt unum florenum. Sunt, qui ad exaggerandam hujus Taxae turpitudinem, monent; praeter illa taeterrima auditu, dici in ea; *Non conceduntur pauperibus hujusmodi gratiae & diſpenſationes.* In quo tamen falſi ſunt. Primo enim non extant in Taxa poenitentiali neque in contexto Cancellariae ſermone ipſo; ſed tantum in *notabilibus juxta ſtylum hodiernum romanae Curiae, quae in Oceano Juris T. XV. P. I. p. 371-376,* illi ſubjuncta ſunt. Tum non ad omnes regulas Taxae eſſe accommodandam hanc admonitionem, ſed ad caſus tantum matrimoniales, inſpicienti verba palam eſt, quae haec ſunt: *Diſpenſatio de matrimonio contrahendo in cognitione ſpirituali gr. 60. Expediri tamen unam pro gr. 50. ſed de gratia. Idem eſt judicium in ſecundo gradu & componitur cum datario in maxima ſumma aliquando 300. & etiam 600. & alias juxta qualitatem perſonarum. Et nota diligenter, quod hujusmodi gratiae & diſpenſationes non conceduntur pauperibus, quia non ſunt; ideo non poſſunt conſolari.* Si forſan ſint aliqui, retroactae aetatis non ſatis periti, quibus incredibilia videantur haec, quae animus meminiffe horret, & quae, quandocunque fuerint in uſu, produnt ingenium hominum ad omnem morum perniciem pronum, maculaeque haud exigua adſpergunt, quorum auctoritate ſunt perſcripta; & ſi qui forſan unquam aut perſcripta ea aut in uſum deducta dubitent, non foret id nimis mirandum, quin potius dubitatio, ex amore chriſtiano profecta, excuſationem haberet. Ea vero palam ab erudito nec hiſtoriae veteris ignaro in dubium vocari ac negari, non addicentibus antiquis rerum monumentis ſed repugnantibus, non tam admirabilitatem quam indignitatem apud aequos aestimatores commovet. Quo nomine omnibus ſuffragiis vulgare meretur Abbas Richardus, (Gabriel Gerberon,) qui f) magna animi conſiſione aſſeverat; Taxas, in quibus pro criminum abſolutione certae numerorum ſummæ definitae olim fuerint, curialium culpa compoſitas & dudum ſuppreſſas eſſe; Taxas Cancellariae ſub Johanne XXII. anno 1320. apparuiſſe & Taxam Poenitentiarum circa 1336. ſub Benedicto XII. utramque incontinenter fuiſſe ſuppreſſam & in prohibitos libros relatam. Qua fronte id dicat, haud ſatis ſcio. Verberant enim os tot exempla, auctoritate Pontificum typis ante Lutheri aetatem & proxime poſt eum exſcripta, quorum longum Catalogum contextit Marchand g) Quis credat Gerberonio, Taxas fuiſſe, ſimul ac lucem adſpexerint, publica auctoritate rejectas? quas iterandas curaverunt Pontifices, ne utile inſtitutum in deſue-

d) Vilhelmi Rauchini Advocati Montis peſſulanenſis Praef. in Taxam 1706. apud Marchand Dictionnaire hiſtorique T. II. 272.

e) Praef. ad T. II. Magazines.

f) Prejugez de Mrs Jurieu contre l'Egliſe Romaine L. II. c. 31. pag. 219.

g) l. c. p. 271. 272.

desuetudinem veniret. Quo illi quoque vanitatis convincuntur, qui cum tot documenta exstent, rem quidem ipsam inficiari, turpe & impudentiæ vix tolerandæ, ut est, sibi ducunt; usum tamen earum nunquam fuisse, persuadere aliis cupiunt. Quo enim consilio credamus has regulas fuisse in conspectu ecclesiæ summorumque Pontificum toties excusas, si nullius commodis consulere voluissent, nec ullus fructus ad alios ex hac diligentia redundasset. Sed ne opus quidem est hac ratione ad vincendum, cum non desit exemplum Taxæ, cujus limbo adlevit ille, qui eo usus est, quo die hic & ille solverit, quod pro redimendo peccato debebat, quodve aliis fuerit ex speciali gratia de pretio remissum. Uffenbachius illud oculis suis usurpavit accurateque descripsit. Ex ipsa Roma id abstulerat Aimonius. *b)* Duobus voluminibus, ex bipatentibus foliis minoribus compactum, quolibet horum duorum digitorum crassitiem exæquante, constabat. Auctum præcipue erat Catalogo copioso peccatorum clericorum, quæ efferre Uffenbachius nefas duxit. Demus tamen, quod alii postulant, in Indicibus Expurgatoriis Taxam & Praxin Poenitentiarum obelo notari. Id vero vicissim nobis concedant, quod demonstratum dedit Marchand, *i)* serius, quam par erat, fuisse Indicibus his insertam, inter quos post quinque antiquiores primus demum est, qui Philippi II. dicitur anno 1569. editus. In recensu horum indicum omisit, diligentissimus historiæ literariæ cultor Marchand, eum Catalogum, qui cura Jo. Della Casa Venetiis 1549. fuit confectus, quem Vergerius recudi fecit in libello: *Concilium Tridentinum fugiendum esse omnibus piis*, Quaternionibus anno 1553. cujus tum ipse meminit *k)* tum Neumetzius, *l)* ignorato tamen auctore hujus inscriptionis. Cunctationis hujus vix aliam probabiliorum causam forte dixeris, quam hanc, quod pudore magis, post factam veteris labis exprobrationem ab aliis, quam sponte sua ad delendam Taxam processerint: idque in alio exemplo cum nostra causa conjuncto, factum fuisse testatur Vergerius *m)* *Hunc impurissimum sathanicumque Archiepiscopum (Casa) Paulus IV. victus importunitate mea & exprobratione, quod talia monstra pro iudicibus ecclesiis obrudantur, tandem condemnavit. Verum quid? inseruit hunc execrantissimi illius poematis (Capitolo del Forno) auctorem in eo ipso Catalogo, in quo doctrinæ filii dei recensentur.* Hæc cum ita sint, inanem profecto operam impendunt, qui ecclesiæ pristinæ ætatis labem hanc abstergere volunt lateremque lavant. Infirmiora enim sunt, quibus utuntur, argumenta, quam quæ persuadere rem animo veri cupido possunt. Neque eam dissimulaverunt dumviri Espensæus & Edmundus Richerius, Gerberonio integrioribus prudentioresque, malueruntque id, quod res est fateri, quam malæ causæ defensionem parare, ex qua facile dejici poterant. Itavero Richerius: *n)* *Herclé nisi Concilii & temperamenti Aristocratici auctoritas libera asseratur & retineatur, Ecclesiastica disciplina tabes nunquam in melius emendabitur propter curiæ Romanæ artes: quæ magno cum religionis catholice opprobrio, omnes abusus in suum privatum commodum & temporalem dominatum avidissime arripit: cujus rei testis est locupletissimus nullaque ratione refutandus aut improbandus Liber Taxæ Cancellariæ Romanæ: In quo ait Espensæus Comment. in Ep. ad Titum: Plus scelerum discuss licet, quam in omnium vitiorum summis & Summaris & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita parco nominibus; nam, quod ait nescio quis, Nomina sunt ipso pene timenda sono. Mirum hoc tempore, hoc schismate non supressum, tot tamque scelerum, tamque horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem: ut non putem in Germania, Helvetia, & ubicunque a Romana sede defectum est, opus proficere majore hujus scandalo & adeo tamen non suprimatur ab ecclesiæ Romanæ favissioribus & c.* Confirmatur his verbis, quod modo sumimus, exprobratione frequenti compulso demum fuisse Præsules ecclesiæ Romanæ ut in Indicibus expurgatoriis Taxam obelo notarent: cui auctoritati tamen adeo non ubique locorum paruerunt, etsi publice profarent Indices, ut eadem Taxa post decem annos & plures Venetiis Oceano Juris infereretur.

Hic

*b)* Reiffen T. III. p. 486.

*i)* T. II. p. 277. T. I. p. 6.

*k)* T. I. p. 163.

*l)* In den vernünftigen Gedanken über allerhand Materien P. V. p. 222.

*m)* Apud Wolffium Lection. memorab. T. II. p. 692.

*n)* Historia Concil. Gener. L. IV. P. II. p. 202.

His de insigni hoc sacrae disciplinae corruptionis monumento universe dictis, animum ad ea advertamus, quae proprie huic descriptioni sunt proposita. Quorum *primum* est investigare, quibus vicissitudinibus vetus poenitentiae disciplina ad tantam ruinam fuerit impulsa. *Alterum* quibus ex causis probabili ratione explicari possit vile redimendis peccatis constitutum pretium. Ac de *primo* quidem nunc; Quotum enim quodque vel insigniter pulchrum vel deforme in eam subito magnitudinem, quam miramur, excrevit! Tenuia sunt rerum omnium principia sensimque crescunt omnia quae vestigiis suis persequi ac consequi cum jucundum tum utile est. Paulo durior erat Saec. IV. & V. disciplinae hujus ratio, cujus severitatem primo imminuit Siricius, dum in vitia, de quibus publicam poenitentiam olim egerant iterum lapsis, hoc contra leges antiquas beneficium concessit, ut rebus divinis interesse & de Eucharistia morti proximi participare possent. *o)* Deinde, quemadmodum teneritudine quidam conscientiae peccata sibi tantum vel paucis cognita, Presbytero, qui ex hoc munere Poenitentiarius fuit dictus, confitebantur disciplinaeque modum quandam ad coercendam pravitatem morum instumque vitium animi, ultro in se admittebant, vel publice vel seorsim aliis praestandum, gravioraque suscipiebant, quam ex lege subire necesse erat; sic contra alii offensivum publicarum, ex lege publica poenitentia eluendarum rei, animi quadam elatione, ipse ritu ecclesiae, privata tantum confessione perfungebantur eaque publicam, indulgentiam ministrorum ecclesiae, poenitentiam redimebant. Cui consuetudini occurrere voluit Concil. Toletanum III. anno 589. Capit. XI. fanciens: *Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum ecclesias, non secundum Canonem sed fœdissime pro suis peccatis homines agere poenitentiam, ut quotiescunque peccare liberit, toties a presbytero se reconciliari exposculent; & ideo pro coercenda tam execrabili praesumptione id a sancto concilio jubetur, ut secundum formam Canonum antiquorum dentur Poenitentiae: hoc est ut prius eum, quem sui poenitet facti, a communione suspensum, faciat inter reliquos poenitentes ad manus impositionem crebro recurrere, expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probaverit, eum Communioni restituat.* Ad eosdem fines revocabat disciplinam Synodus Ticina diu post illud concilium; quae definiebat *p)* *Qui publice crimina perpetrarunt, publice poeniteant. Qui vero occulte deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.*

*Alter gradus* prolapsionis hujus disciplinae contigit, ex quo sacrorum ministri potestate sibi concessa parum prudenter usi, vel ad remittendam satisfactionis partem vel in permutandis his propensiores se, quam forte par erat, exhibuerunt. Ultimus Canon Qvini sexti *q)* diserte monet, quod ab antiquo jam erit constitutum, ut illi, qui solvendi & ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem confiderent & ejus qui peccavit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferant medicinam: ne si in utroque immoderatione utatur, ejus, qui laborat, salutem pessumdet. Haec eum esse in sensum a patribus dicta, testatur Balsamon, quo significarent, licere Episcopo & Pastori, posthabitis aliquando canonibus de poenitentia, mitius pro conditione poenitentium eos tractare ac de rigore illis aliquid remittere. In eandem sententiam pronuntiant Canones episcopi Lingonensis *r)* Concilium Wormatiense Can. XXV. *f)* Rabanus in responso, *t)* & Concilium Metense *v)* Can. X. Minus caute licentiam hanc usurpasse plurimos, cum ingenii humani vel imbecillitas vel pravitas conjecturam svaedet, tum rerum ipsa documenta loquuntur. Ita enim comparati sumus, ut nimium in alteram partem propendentes, levi impulsu lineam excurtamus. Quod, si in aliis frequenter usu veniat, in nostra causa maxime valere, quotusvisque non intelligat? Cum enim duobus praecipue modis in satisfactionibus injungendis vitium cogitari possit, alterum quod in nimium rigorem desleclit, alterum, si levior, quam pro peccato disciplina jubetur; posterius frequentius incurrisse sacer-

B

dotes

- o)* Albaspinæus Obs. L. II. obs. 5.
- p)* Canilii antiquae lect. T. II. P. II. 362.
- q)* Hard. T. III. 1698.
- r)* Baluzius T. I. 1254.
- f)* Hard. T. V. 741.
- t)* Hard. T. V. p. 1414.
- v)* Hard. T. V. 480.

dotes, intellectu non est difficile, si mores illius ætatis spectemus in luxuriam fluentis. Rarissimos fuisse, quovis pignore certaverim, qui gravius quid in peccantem statuerent ac vix sui similem habuisse illum inter fratres putaverim, qui *mulieri pro lubricitatis reatu, inter alias discipline asperitates, præcepit, ut quadraginta diebus per communia fora dioecesis nudo corpore usque ad umbilicum incedens scbedulam sui delicti conscriptam ferret in capite palam; quam sententiam mitigavit Benedictus XII.* w) Numero contra hos multum superasse illos, qui indulgentius haberent fontes, hoc vincit, quod sensus propriæ infirmitatis ad aliorum leniores nos reddere solet, ut facilius aliorum libidini malefacta, quæ nos non lædunt, condonemus, qui nobismet ipsis atque animo nostro delicti gratiam faciamus. Omni vero conjectura firmiora sunt monumenta illius ætatis, tot decreta conciliorum minacia, quibus cavere voluerunt, ne quis mitius quam pro gravitate culpæ poenitencia tractet. Ex quorum frequentia concilium Moguntinum I. capit. XXXI. x) in testimonium citamus. *Modus tempusque poenitentiæ aut per antiquorum canonum institutionem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet a sacerdotibus. Nam qui pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitados imponunt poenitentiæ modos, consuunt pulvellos sub omni cubito manus & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.*

Quin existimo ex laxata potestate levitateque animi indulgentiaque nimia ministrorum ecclesiæ profluxisse multitudinem libellorum poenitentialium Sæc. VIII. sequentibus frequentatam. Malunt enim tardiores ingenio aliorum quam suum sequi iudicium. Ut igitur quisque aliis vel acumine vel rerum usu præstare existimabatur, ita hunc potissimum ducem sibi alii adsciscebant, ejus normam agendi probabant, scriptoque comprehensam imitabantur. Recensum horum libellorum, qui ætatem tulerunt, instituit Charles chais *Lettres sur les Jubiles & les Indulgences T. II. p. 485.* sequ. Innumeros vero fuisse alios vulgatos, Ebo in epistola ad Halitgerium y) docet; *Ita confusa sunt iudicia poenitentium in presbyterorum suorum opusculis atque ita diversa & inter se discrepantia & nullius auctoritate suffulta, ut vix propter dissonantiam possint discerni: unde fit, ut concurrentes ad remedium poenitentiæ, tam pro librorum confusione quam etiam pro ingenii tarditate, nullatenus eis valeant subvenire.* Periculo hæud caret in rebus sacris non meræ discipline externæ, laxare nimium habenas ac permittere, ut privato quisque iudicio suo stet. Quo nomine, si etiam solo prudentiorum reprehendissent varietatem horum libellorum, laude suamactandi essent. Sed gravioribus vitiis hos fuisse infectos inque his maxime nimia in peccata atrociora indulgentia, Conciliorum integrorum prope persuadet studium, quod in illis tollendis, interposita sua auctoritate, posuerunt. In concilio Turonensi III. can. 22. *Episcopis injungitur, ut doceant sacerdotes, cujus antiquorum liber poenitentialis potissimum sequendus sit.* Tum concilium Cabilonenje II. can. 38. præcipit; ut modum poenitentiæ secundum antiquorum canonum institutionem imponant; repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos poenitenciales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores. Gravissime vero omnium in eos animadvertit Concilium Parisiense VI. Can. 32. & 34., ex cujus sententia omnes igni sunt tradendi comburendique.

Quodsi in eo vitium administrandæ discipline se continuisset tolerandum forte fuisset, cum ab humanitate aliquem defensionis modum habeat paratum. Dum autem longius processit ac in turpem lucri cupiditatem prolapsus fuit, omnem excusationis speciem respuit. Tertius hic est corruptæ discipline poenitentiariæ gradus. Atque ad hunc permutatio satisfactionum aditum patefecit. Duriores erant Sæc. VII. & VIII. in protrahendis jejuniis compenforis latini græcis, a quo rigore mox prudenter fontibus, qui iis ferendis impares videbantur, non nihil remittendum esse sciscebatur, ut, qui continuatum per plures dies perferre non poterant, iis tot psalmos ut supplici corporis habitu recitarent, præcipiebant, quot diebus, nisi quid commutata ratione indultum fuisset, se affligere jejunando debuissent. Tanta vero cum esset plerorumque inciscitia, ut psalmos neque legere possent neque memoria tenerent, horum imbecillitati succurrebatur, statuta aliqua pecuniæ

w) Baluzius. Capit. T. II. Append. p. 1563.

x) Hard. T. V. 14

y) Canisius T. II. P. II. p. 87.

pecuniæ summa ad numerum dierum & ad facultatem cujusque exacta. Poenitentiale romanum Sæc. IX edicit: *Qui psalmos non novit & jejunare non potest, pro uno anno, quem in pane & in aqua jejunare debet, det in elemosinam pauperibus XXII. solidos.* z) Concilium Triburiense Can. LVI præcipit: *Si infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei tertiam feriam & quintam atque sabbatum redimere uno denario vel pretio denarii, sive tres pauperes, pro nomine domini pascendo: ita duntaxat, ut vel carne vel vino vel medone, id est, de vribus una re utatur, non omnibus vescatur.* aa) Cura denique habenda erat pauperum. Flagella his pro denariis erant, sic ut ex. gr. septem flagelli percussiones in palmam porrectæ manus, unum jejunii diem compensarent. bb) quod ex regula fiebat; qui non habet in ære solvat in corpore. Sunt qui putant, hujus modi permutationes a Theodoro Cantuariensi episcopo, patre poenitentialium libellorum in occidente, suo fuisse adscriptas, inter quos est Muratorius. Potiores tamen Morini esse videntur rationes, quibus vincit ab aliena manu tam huic quam Burchardi & Jvoni Carnotensis esse adjectas. cc) Magna hæc erat illecebra malorum, quæ & ad peccandum audacius rapiebatur populus, & invitabantur sacerdotes ad eum indulgentias tractandum, objecto cupiditati haud contentendo lucro. Infatum enim est plerisque tenacitatis vitium & auri argentique studio, quo seu luxui, seu aliis cupiditatibus inserviant facile tenentur plurimi. Quid igitur huic ingenii humani pravitati accommodatius fieri potuit quam hoc, ut primo lenitas sacerdotis animum poenitentis, ad sensum beneficii haud inepti, provocaret ad pietatem in referenda gratia munusculo aliquo declarandam; alius deinde tentaret, si forte liberalitate exorabilem sibi & ad ignoscendum facile reddere judicem posset. Nec frustra tentando laboratur periculumque præclare procedit. Generosa pectora mutuis officiis invicem contendunt, quo factò plures invitantur ad eandem viam ingrediendam, quæ delinquentibus poenitentiae disciplinam amoeniorem, sacerdotibus fructuosiores efficit. Vestigia hujus depravationis expressa, videmus in Capitularibus Ludovici Pii: *dd) Dictum nobis est quod in quibusdam locis Episcopi & comites ab incestuosis vadios accipiant & a presbyteris pro quibusdam negligentis, & inter se pecuniam dividunt, quod penitus abolendum decernimus. Et constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam poenitentia mulcentur.* En episcopos mali exempli auctores! Quid mirum si Presbyteri idem sibi aliquando licere existimaverint! quod tamen acriter in his reprehendit synodus Remis habita Capit. IX. ee) anno 874. *Sollicite providete, ne vos Presbyteri negligenter poenitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis.* Infirmus solet esse agger, quem legum auctoritas pravis moribus objicit, ubi per moras jam invaluerunt ordinemque civitatis ipsum infecerunt, in quibus ea refidet legumque ferendarum potestas. Parum profecto hac fuisse emendatum disciplinam, quin eundo vitium majores vires acquisivisse, latiusque serpsisse attestant rerum monumenta. Episcopi enim, quo erant animo in rem suam ingeniosissimo, præter leges jam constitutam excogitabant aliam in relaxandis poenis permutationem. Cum initio quæstus ex eo redundans in pauperes maxime derivaretur, ædificia sacra his supponebant, ac quo sumtuosius exstruere ea cogitabant, hoc in remittendo vel majore vel minore parte poenarum canonicarum erant indulgentiores. ff) Summa orationis libertate perstringit Abælardus improbum morem, qui notari ac vituperari satis insignite atque aspere nequit, *in Esbica s. Scito te ipsum,* gg) ubi refert, missam unam apud avaros sacerdotes uno denario venire aliisque multis, quibus redimebantur poenæ luendæ, certum pretium esse constitutum. Episcopos vero in encoenis ecclesiarum & altarium ita profundere indulgentias, ut vel tertiam vel quartam poenarum partem remitterent. Cujus liberalitatis causam etsi omnem in jamorem atque misericordiam referrent, inane tamen virtutis nomen avaritiæ suæ præterdere, quæ se

B 2

tan-

- z) Canisius T. II. P. II. p. 129.  
aa) Hard. T. VI. P. I. p. 454.  
bb) Baronius ad annum 1055. n. II.  
cc) Chais T. II. 504. — 509.  
dd) Baluzius P. I. p. 749.  
ee) Hard. T. V. p. 414.  
ff) Chais T. II. p. 547.  
gg) In Bern, Pezii Thesaur. Anecd. T. III. P. II. 666. & 679.

tanquam forèx prodat; remissione non gratis impertita, sed numerata demum pecunia. Egregie hanc excusationem explicat inque rem suam vertit Guilielmus Parisiensis de sacramento poenitentiae *bb*) *Major est honor Deo, majorque animarum utilitas, quam quantacunque afflictionum poenitentialium carnificina. Episcopalis ergo potestatis & officii est, carnificialem illam afflictionem quantacunque, sive pro parte, sive pro toto, sicut expedire viderit in hujusmodi bonum, vel simile vel alterius modi, quod publica requirit utilitas, commutare.* Hoc patrono causa mala egebat, qui auctoritate sua efficeret, ut, quæ jam ad incitas fere redacta erat, tota tandem poenitentiarum redemptio reduceretur ad multas pecuniarias, quas plerumque sibi e manibus elabi non finebant. *ii*) Sic tandem poenæ pecuniariæ vim legum nanciscebantur, nec, si reprehensionem incurrebant, tam permutatio poenæ disciplinæ vicio vertebatur, quam hoc, quod ita statuendi potestatem sibi fumerent, quibus ea non erat concessa. Utriusque assertionis argumenta suppeditat ætas, de qua agimus, haud dubia. Et ad priorem quidem quod attinet, sancitur a Concilio Turonensi 1236. Can. VIII. *Qui binas nuptias eodem tempore celebraverit, infamis ipso facto declaratur publiceque fustigandus, nisi pecunialiter poenam illam redimat arbitrio & iudicio judicantis.* Et Can. XII. *Qui de testimonio deferendo falso convicti fuerint vel confessi, fustigentur; nisi poenam illam pecunialiter redimant ad arbitrium judicantis & si hoc ipsis videbitur expedire.* Ad alteram vero pertinet, quod Can. III. Concilii Salmurienfis præcipitur. *Ex cupiditate provenit, quod plerique Archidiaconi & Archipresbyteri provincie Turonensis — pro corrigendis excessibus & criminibus puniendis, videlicet adulterio, fornicatione, incestu & aliis excessibus in quibus maxime idem dispensare non possunt, a clericis & laicis poenam pecuniariam contra canonum prohibitionem exigunt & extorquent. Que de cætero fieri prohibentur — salvo tamen eis, si quid circa correctionem talium excessuum eisdem competat de consuetudine approbata.*

Alterum quod scriptio huic propositum est; quibus ex causis cum perturbatio disciplinæ veteris univèrse tum ejus status declinatio, qualem in Taxa poenitentiarum expressam videmus; explicari commode possit, nunc erit videndum. Ex duobus potissimum fontibus vitia hæc manasse credibile est. Prior est ipse ordo sacer, qui quo majorem dignitatis gradum obtinebat, eo in pecunia concupiscenda cogendaque diligentior se præbuit. Romanam quidem aulam, ut a capite ordiamur, ad rem aliquantum avidiorem fuisse ita ut in conquirendis redditibus nec modum nosset nec terminum, palam illa ætate fuit objectum. Fecit hoc Bernhardus cum aliis locis tum præcipue Ep. 290. Nec reticenda est illustris eam in rem Johannes Sarisburiensis testificatio. *kk*) Scificanti enim Hadriano IV. quid de se & ecclesia Romana sentirent homines, respondit in hæc verba. *Romana ecclesia, quæ mater omnium ecclesiarum est, se non tam matrem exhibet aliis quam novercam. Sedent in ea scribæ & Pharisei ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero nec formasiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam: pretiosam suppellectilem congerunt: auro & argento onerant mensas, siti etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut rarus aut nullus admittitur, quem interdum non Christus quam vana gloria introducit. Concutiunt ecclesias, lites excitant, collidunt clerum & populum, laboribus & miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, ecclesiarum letantur spoliis & questum omnem reputant pietatem. Justitiam non tam veritati quam pretio reddunt. Omnia namque cum pretio hodie, sed nec cras aliquid sine pretio obtinebis. Nocent sæpius & in eo demones imitantur, quod tunc prodesse putantur cum nocere desistunt, exceptis paucis, qui nomen & officium implent.* Illustrari potest hæc sententia exemplo Clementis V. Prædecessoris Johannis XXII. Hic cum Burdegali egressus ac Pictavium petens, iter per plures regiones faceret, omnibus, quas attingebat, ecclesiis, magnam pecuniæ vim imperabat, sibi solvendam. Idem ejus exemplo commoti, sibi licere putabant, quos comites habebat itineris ex aula sua, tantaque utrarumque partium erat in rapiendo & exigendo acerbitas, ut, quæ expoliata fuerant ecclesiæ, ad Regem causam deferendam esse censerent. Quæ a rege cognita, Pontifex se apud regem

*bb*) Morinus de poenitentia L. X. c. 21. §. 9.

*ii*) Muratorius Dissert. med. Ævii T. V. p. 718.

*kk*) In Polycrat L. VII. 24.



regem legatione ad eum missa, ita purgavit, ut omnem in suos culpam reieceret. *ll)* Erat Clerus Galliae, si ab aula Pontificis recesseris, profecto corruptissimus, ita, id quod omnem fere fidem superat, ut sublingiones Episcopi Viennensis, tributum palam exigenter, ex restibus laqueisque, quibus fures ad induendos, quos spoliare in via volebant, utebantur aliisque instrumentis, quibus illi improbae artis pericula faciebant. Domestici vero ejusdem Praefulis grassatorum, nequissimis audendis paratissimorum, salutem atque vitam auctoritate sua praesidioque tutam praestabant. *mm)*

Propior nostrae causae est alter fons, forma reipublicae ipsa legumque civilium complexus exempla eorum, qui cum potestate civili populo praerant. Vix enim credibile in tantam turpitudinem ruere potuisse sacrum ordinem, nisi opportunitatem praebuisset rerum circumstantium conditio. In Galliae vero regni constitutione vicissitudinibusque potissimum causam mali esse quaerendam, quod sensum pervagatum est ecclesiam diruitque recte constituta, dabit nobis facile, qui meminerit, nusquam de restituenda disciplina aequae fuisse laboratum, quam in Gallia, quam tamen patrum sollicitudinem, repetito licet conatu, vi mali ingravescentis repudiata, successu frustratam fuisse, comparati priora cum posterioribus a nobis excitatis documentis, obscurum esse non poterit. Tristia erant Galliae, declinante auctoritate posterorum Caroli M. fata. Carolo Calvo adhuc impetrante, spernebatur jam ripuariarum legum capitulariumque nomen, quod penitus interdidit, ad aliam regum stirpem translato imperio. Inminuto enim hoc per Feudatarios majores, qui omnimoda jurisdictione & absoluta gaudebant, ut quisque suae dictionis dominatum rapuerat licentius, ita leges ferendi arbitrium sibi sومهbat audacius. *nn)* Ac leges quidem populorum Europae occidentalium parciore vitae hominum quam nostrae, erant, multamque dicebant frequentius etiam in gravioribus criminibus, poena alias capitali luendis. In quaedam peccata mortis poena omnino decreta erat, ut in prodicionem & perfidiam sive in regem summamque majestatem, sive in comitem inferioremque potestatem. Eadem tamen ex arbitrio regis, cum alia saepe permutabatur, qui ejusmodi fontes vel singulari certamini objiciebat vel cogeat ad militiam capiendam. Alia flagitia pecunia redimebantur, ubi multae aestimandae haec ratio habebatur, ut quo ditior esset quisque locupletiorque, in quem peccatum fuerat, hoc major pecuniae summa penderetur ab eo, qui deliquerat. *oo)* Ita, ut hoc utar, ait lex; *Si quis uxorem viri mille & ducentis solidis aestimati pellexerit, dato eo nomine ejus viro centum viginti solidos. Si eum uxore hominis, qui sexentis censetur solidis, fornicetur pendito solidos centum. Si quis cum uxore hominis pagani, rem habuerit, quadraginta solidos solvito.* vid. plura in Legib. Alfredi; *pp)* Similia in Capitularibus Dagoberti occurrunt. *qq)* *Si quis liberum hominem occiderit, solvat parentibus suis, si habet. Si autem non habet, solvat duci vel cui commendatus fuit, dum vixit, centum sexaginta solidos.* *rr)* Concilium ad Vermeriam temporibus Pipini. *ss)* *Si quis incestum cum proxima, matre, sorore & amita, commiserit, peculium suum perdat, si habet, & si se non emendare voluerit, nullus eum in domo recipiat. Quod si fecerit XL. solidos Regi componat. Et si pecuniam non habet, mittatur in carcerem.* Gemina his edicunt Capit. Caroli Magni in lege Salica *tt)* quemadmodum his concinunt Capit. Ludovici Pii. *uu)* His legibus adfuerit galli, etsi in aliis auctoritatem earum consequente aetate parum reverebantur, illud tamen, quod commodo maxime suo inferviebat, non retinebant tantum; sed augebant, ut in pecunia spretis divinis naturaque legibus concupienda

C

vicio-

- ll)* Bower ex Baluzii vitis Pazarum Avenionensium. T. VIII. P. 293.  
*mm)* Mably Bemerkungen über die Geschichte von Frankreich p. 138.  
*nn)* Valbonnassi Memoires pour servir a l'histoire de Dauphiné p. 5.  
*oo)* Jo. Spelmana in Vita Alfredi apud Chaussepie v. Alfred.  
*pp)* Apud. Hard. T. VI. P. I. 382.  
*qq)* Baluzius. P. I. p. 110.  
*rr)* Idem. p. 135.  
*ss)* Regino de disciplina eccles. L. II. c. 221.  
*tt)* Baluzius. C. I. p. 309—311. 511.  
*uu)* C. I. p. 600.

vitiosiores erant. An unquam iustum æquumne expectes ab his, qui tam insigni impudentia sunt, ut sibi a subditis pro indulto quorundam beneficiorum, jus itipulentur, quo liceat sibi semel a quolibet mercatum exercente, rem, cujus pretium non esset quinque solidis majus, ita emere, ut nec ullum nummum pro earesolvant? *ww*) Atconjecturis a me causam egi non est necesse, cum ad sint documenta eaque ex illa ætate, ubi Taxæ poenitentiariæ nomen, auctoritate pontificis munitum auditum fuit primum. Vaibonnasii enim *xx*) hæc sunt: *Majoribus dominis, Libertates dictæ, pro lubitu statuendi jus erat, bonam partem ex veteribus Burgundionum institutis, sub quibus olim vixerant, petitas. Nullum crimen tam horrendum & ingens, cujus poena pretio redimi non posset, quod illi pro modulo avaritiæ suæ desinebant. Adulteria centum solidis in statutis Gratianopolitanis, in aliis locis sexaginta aut etiam minoris æstimari solita. In egenos crudelissimis suppliciis sævebatur.*

Ex his exemplis poenarum civilium transfusum fuisse morem figendi modum disciplinæ poenitentiariæ, in forum sacrum, creditu haud est difficile. Magna enim procedente tempore cognatio intercessit inter causas civiles & ecclesiasticas, ut hæc illarum formam imitarentur, postquam ex sacro ordine viri non iis tantum negotiis, quæ erant propria regum, admoti essent; sed in illis quoque iidem versarentur, quæ ad bona ecclesiæ feudi nomine a republica acquisita pertinebant. Etsi enim negotia civilia sejunctas sic habent ab ecclesiasticis rationes, ut ex earum confusione magnam rerum perturbationem consequi necesse sit, facile tamen, quæ est humani ingenii vel imbecillitas vel perversitas, permisceri solent ab his, qui utrumque genus tractant, & quo horum quisque ad regendos alios cum auctoritate humana propensior est ambitioneque inflatior, hoc magis rationes providendi animorum saluti accommodat ad eas, quibus res hujus vitæ curantur. Id vero in permutatione poenarum, quam facer ordo sequutus est, evenisse, quis non intelligat? qui cogitat, quam diligenter fere omnes in re præter modum comparanda fuerint. A capite hoc vitium ad membra huic proxima profectum diffudit se per inferiora, ut cum præsules tenuiorque clerus variis modis emungeretur, hi vel exemplo commoti, vel necessitate auctorati, a plebe acquirere ea allaborarent, quibus & sibi prospicerent & aliorum cupidatem explerent. Atque ita factum est, ut administri poenitentiæ in æstimandis criminibus sibi modum quandam figerent, qui ad rationes legum reipublicæ accommodatus hoc tantum differebat, quod violori paulo veniam pretio impetrari permetteret, quo frequentius idem beneficium sibi comparare peccantes, reditusque suos augere sacerdotes promptius possent.

Libellos poenitentiales Sæc. XIII. ac initio sequentis ex ejusmodi formulis descriptos, fuisse frequentatos, veritati prope est. Quos cum & varios esse & nulla auctoritate publica munitos deprehenderet Johannes XXII. utrumque vitium ex his tollere voluit, cum in unam formulam omnes redigeret editæque Taxæ poenitentiariæ apostolicæ nomen inscriberet. Ad hunc enim tanquam auctorem communi suffragio referri solet Taxa *yy*) Ita vero id recte fieri opinor, si eum ex ingenio; quo alias dives erat, promississe primum excogitasseque haud existimas, sed eo sensu, quem modo innui, interpreteris. Quod veritati, probabilibus rationibus ductus, dandum esse censeo, etsi in multis aliis vehementer fuerit culpandus. Inerat profecto homini animus supra humani fastigii sortem elatus, immodicus que sui æstimator, quo siebat, ut Cælaris Regumque non tantum majestatem præ sua, quam excogitato novo excommunicationis genere contra eos tueri volebat, vilipenderet, sed privatas etiam de obscuris rebus opiniones tanquam oracula ex tripode funderet, eruditis minaci vultu eas obrudens. Nec dubia sevi animi crudelisque signa haud pauca in Fratricellorum causa dedit. Ab avaritiæ tamen suspicione multi sunt, qui eum defendunt, liberalitatem munificentiamque ejus commemorantes. *zz*) Vim enim opum, 250. tonnis auri majorem, non auri argenti que studio; sed eum in finem ab eo esse congestam ajunt, quo Christianis bellum in Turcas parantibus, sumtus sufficeret. Quorum subsidiorum comparandorum causa si omnes ingenio antecesserit, id non tam cupidini, quam bonæ causæ

*ww*) Mably c. I. p. 121.

*xx*) Act. Erud. Lat. 1714. p. 494.

*yy*) Chais T. II. p. 674. seqv.

*zz*) Bower T. VIII. 376.

ſæ vitiſque temporum eſſe imputandum, putant. Vt cunq̄ue ſit, falli eos certum habeo, qui eum protuliſſe primum exiſtimant Taxam poenitentiarum, quemadmodum ſimili errore errarunt, qui hunc Pontificem inventorem tum Annatarum tum Monitoriorum habuerunt, cum utruſq̄ue ætate ejus antiquius ſit, & alterius quidem veſtigia Chryſoſtomi ætate jam exſtent. *aaa*) alterum vero ab Alexandro III. fuerit adhibutum, *bbb*) eſſe prima Monitoriorum formula, quæ ætatem tulit, a Johanne XXII. ſit. Exploratus hoc eſt, noſtrum oblata opportunitate per obvios libellos poenitentiales, ea ratione agendi fuiſſe uſum, quam curiæ romanæ tribuit Richerius, *ccc*) ita pronuncians: Omnes abuſus in ſuum privatum commodum & temporalem dominatum avidiſſime eum anipuiſſe; atque ſic ſuo modo auctorem Taxæ poenitentiaræ recte dici poſſe.

Hæc ex antiquiore coetus ſacri memoria ad arbitrandum de veteri ſuperſtitionis aliquo capite, rectius quam a multis ſit, repetere, eademque præſari viſum eſt actui ſolemni, quo juſſu Magnifici Senatus inaugurandus eſt vir *clariffimus & doctiffimus M. Carolus Strauſſius*, Danticanus, quem animus egregia eruditione virtutibusque haud adumbratis excultus, ita commendavit Magnifico Senatui, ut ampliffimum Patrum Patriæ concilium non varie ſed cunctis ſententis in eum conferret Philoſophiam docendi in Athenæo noſtro provinciam, morte b. Michaëlis Chriſtophori Hanovii, vacuum. Cujus vitæ ortum rationeſque, ipſius Viri Doctiffimi verbis expoſitas, nunc ſubjiciamus.

**M. CAROLUS GOTTLIEB STRAUSSIUS** *Gedanenſis*  
*a. MDCCXLIII. d. 17. April. parentibus BENJAMIN STRAUSSIO, conſule Ged. & ADELGUNDA ECKHOLTII vet. civit. Scabini filia natus eſt. Poſtquam privata ſub inſtitutione puerilem ætatem emenſus erat, a. MDCCCLX. d. 28. April. civibus primæ Gymnaſii noſtri curiæ ad ſcriptus eſt, eademque Muſarum in ſede Celeberrimorum Doctorum, BERTLINGII, PAULI, SENDELI, WERNSDORFFII, GRODDECKII, LESSII, cum primis autem HANOVII recitationibus omni cura & ſollicitudine interfuit. Inſtitutis autem diverſi generis, ingenii viriumque ſuarum exercitiis elapſoque quadriennio a MLCCLXIII. d. VIII. Maji Jenam abiit, ibidemque Doctiffimorum ejus ætatis Virorum, Koecheri, Zickleri, Walchii, Tympii, Hirtii, Poltzii, Succovii, Waldini aliorumque ſcholas diligenter frequentando, telam ſtudiorum, tam in Philoſophicis, quam Theologicis ac Philologicis domi coeptam pertexit ulterius. Inſuper autem primum philoſophicam in ſocietatem, quæ Celeberrimi Joann. Gottl. Waldini ſub præſidio per aliquod tempus Jenæ floruit, receptus eſt ejusdemque ſocietatis nomine commentationem germanico idiomate exaratam inſcriptamque von der nöthigen Behuſſamkeit bey dem Tadel der Libellatiſter in lucem edidit. Deinde diſputantium collegio cui, Excellentiffimus Erneſtus In. Walchius per longam annorum ſeriem jamjam præſuit, adſcriptus eſt diverſis que vicibus ingenii ſui vires tam reſpondendo quam opponendo tentavit. Tandem quoque in Societate latina Jenenſi ſodalis jura ac privilegia rite obtinuit, eademque, quam ipſi conferrentur, orationem de commodis & incommodis ſtudii ſingularitatis, quod in Societatibus regnare ſolet non publice ſolum recitavit, ſed poſtea etiam typis exprimendam curavit. Hoc vero ſtudiorum ſuorum curſu nondum penitus finito, bis ipſi oblata eſt occaſio publico*

C 2

in

*aaa*) Palladius Vita Chryſoſtomi p. 126, 127.  
*bbb*) Ronant Traitè des Monitoires.  
*ccc*) l. ſupra cit.

EX TR 4102 X 3152472  
in certamine dissentientis partibus fungendi. Qui quidem conatus, quum prospere cessissent, ut ipse de gradu academico, antequam in patriam proficisceretur, assequendo dissertationeque conscribenda cogitaret. Postquam igitur ab Amplissimo Philosophorum ordine magistri dignitatem petierat, præviis examinibus consuets d. XX. April. a. MDCCLXVIII. in splendido Philosophorum confessu, summos in Philosophia honores adeptus est; die autem XV Maji ejusdem anni dissertationem historico theologicam de Spiritus sancti divinitate in cathedram theologicam protulit. Cujus actus solemnitas ex eo quoque magnum cepit ornamentum, quod per hoc ipsum certamen sacellum istud, in quo publici ordinis theologici actus celebrantur, Musis consecratur. Laboribus hisce feliciter finitis, lubentissime per aliquod temporis spatium Jenæ adhibuisse, aut hanc Musarum sedem cum alia commutasset; ast: quum parens reditum suaderet, optimi illius scenis desiderio satisfactorius, domum properabat. Ultimum igitur Vale Jenæ dixit & a MDCCLXVIII. d. VIII. Junii solum natale denuo conspexit. Redux autem in patriam factus facultateque concionandi a S. R. ministerio donatus, bene multos ad populum habuit sermones sacros. Dirigente jam summo nomine Patronorum animos, a Magnifico reipublicæ nostræ Senatu in locumb. Hanovii Philosophiæ Professor Publicus ordinarius rite designatus est. Cujus quidem Sparte, de eo, quod tantum absit, ut adsiduum Philosophiæ studium solidam sanctiorum disciplinarum cognitionem impediatur, ut potius egregie eandem augeat, brevi oratione expositurus, prima capiet primordia.

Restat ut Magnifici Senatus propensa in nostrum voluntas, me interprete, nunc publice declaretur munusque ipsum in eum rite transmittatur. Quod ame fiet, præmissa oratione de facie præsentis insignioris Civitatis sacræ partis. Ad quam solemnitatem celebrandam, ut nobis commodum præsentiam suam Procere urbis omnesque litterarum & Athenæi nostri Patroni ac Fautores, ea qua decet veneratione & observantia, totius Collegii Professorii nomine, rogo obtestorque; Deum religiose venerans, velit afflictis reipublicæ nostræ rebus medicam manum admove, Athenæum vero nostrum, cui, vix obducta, vulneris superiore anno accepti, cicatrice, novum inflixit, ex quo, egoquidem dolorem hausi vel acerbissimum in vita, benigne respicere, atratumque duplici funere & Scholarchæ & Professoris, beato fulgore ferrenare.




P. P. Die XXVII. Febr. Anni MDCCLXXIV. Dom. Reminiscere.

*De sacra Camera apostolica S. Trinitatis aule romana*

QUOD. FELIX. FAUSTUM. FORTUNATUMQUE. ESSE. JUBEAT.  
DEUS. O. M.

II k  
4102

MAGNIFICI. ATQUE. AMPLISSIMI  
SENATUS. GEDANENSIS  
AUCTORITATE  
PHILOSOPHIAM. DOCENDI  
PROVINCIAM  
IN. ATHENAEO. NOSTRO  
VIRO  
CLARISSIMO. ET. DOCTISSIMO  
DOMINO



A R O L O

T T L I E B

A U S S I O

GEDANENSI  
NISTERIL A. C. I REVERENDO  
ART. A. C. MDCCLXXIV.  
RITU. TRADITURUS  
S. URBIS. HJUS  
NSCRIPTOS



ERARUM. ET. STUDIORUM. LIBERALIUM  
ECENATES. FAUTORES  
QUE. AMICOS  
VERENTIA. CULTU. STUDIOQUE  
INVITAT  
TUDIIS. IN. ATHENÆO. INGENUIS. OPERANTEM.  
MANTER. CONVOCAT  
ULUS. VERPOORTENNIUS  
C. PROF. PUBL. ATHENÆI. RECTOR.  
M. S. S. TRINITATIS. PASTOR.

G E D A N I,  
IBERI. SENATUS. ET. ATHEN. TYPOGRAPHI.